


Grey Scale #13



A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19




Colour Chart #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19





*Podatku do druzi Jana Tarnowskiego*

**B.**

**CHRISTOPHORI WARSEVICII**

DE LAUDIBUS

**JOANNIS TARNOVII**

CASTELLANI CRACOVIENSIS ET SUMMI IN POLONIA

BELLI DUCIS,

**ORATIO.**

*Kielce 1858. Bibl. Golebski*

17th March 1918

11

CHRISTOPHER W. H. S. V. A. S. S. I. S. T. A. N. T.

DEPARTMENT

8120/1

JOHN W. H. S. V. A. S. S. I. S. T. A. N. T.



OFFICE OF THE COMMISSIONER OF THE GENERAL LAND OFFICE

GENERAL LAND OFFICE

1918

u omnia periculosos est, tum hac in parte periculosos  
 rina: absolute nuncius postestas delictatur. Sed in  
 cunqne tandem est, ab hoc vitio me abesse, semperque  
 abluiss, vel hoc ipsum studium scribendi, sane perpe  
 lum testatum facti, quo tribus praesidentibus illi me  
 immo tentatis consilium meae agnoscat, non bene et  
 has quantitasque inscriptiones nostras (si scripsit est)  
 opior non aspernatur, pseudo quidem prius sequen  
 tes, vel in secundis, testisque gradibus, has sit costati  
 tate. Nobis vero vel maxime, quibus nec ingenti neque  
 oti tantum est, ut ea quae sequuntur scriberet assentantur.

**Auctor lectori salutem.**

---

Incipi nuper in quaedam de Tarnovio scripta, pri-  
 mum quidam Stanislai Orichovii, deinde vero etiam Va-  
 lentini Rosanae, virorum bonorum atque disertorum,  
 quorum uterque cum familiariter Tarnovium cognovisset,  
 multa ea quae ab eo fuerunt gesta, consignavit literis,  
 et haud dubie in lucem edere aliquando cogitavit. Sed  
 cum illa nondum mature accurateque perfecta in aper-  
 tum si prodiissent, tantorum hominum luminibus obstru-  
 ctura viderentur: ego, non tam ingenio confisus meo,  
 quod exiguum est, quam animi causa scripsi in eadem  
 materia raptim etiam aliquid, et non nulla partim adjeci,  
 partim detraxi, quae tum ad veritatem historiae, tum ad  
 perspicuitatem dicendi attinebant. Quae subicere typis de-  
 mum placuit, praesertim tum ad polonicae generis et no-  
 minis dignitatem et gloriam conferre ea posse sperem,  
 optem quidem certe. Haec tu lege, et quantum per an-  
 gustias temporis licuit nobis scripta nostra limasse, iis  
 frui, si modo limata dici debent ea, quae subito ex  
 tempore semel saltem scripta, in lucem edere non du-  
 bitemus. Quod utinam ita nobis laudi, ut ingenue vera  
 fatenti fides detur. Scio enim, non quam cito, sed quam  
 bene scriptum quid fuerit, quae situm consideratumque  
 semper fuisse, et hanc libris edendis facilitatem tribui  
 licet, immerito nonnunquam, magis temeritati, et sui i-  
 psius confidentiae, quam rei fortasse alteri, quae cum

n omnibus periculosa est, tum hac in parte periculosissima: absolutis namque posteritas delectatur. Sed utcunque tandem est, ab hoc vitio me abesse, semperque abfuisse, vel hoc ipsum studium scribendi, sane perpetuum testatum facit, quo minime praesidentem mihi me, immo tenuitatis conscium meae agnoscit, non nemo, et has quantulascunque lucubrationes nostras (si aequus est) opinor non aspernatur, quando quidem primos sequentes, vel in secundis tertiisque gradibus, fas sit constitisse. Nobis vero vel maxime, quibus nec ingenii neque otii tantum est, ut ea quae sequimur semper assequamur. Vale. Cracoviae Calendis Junii.

# CHRISTOPHORI WARSEVICII

DE LAUDIBUS

## JOANNIS TARNOVII

COMITIS, CASTELLANI CRACOVIENSIS ET SUMMI IN POLONIA

BELLI DUCIS

### ORATIO.

---

Debetur hoc virtuti, ut non modo vocis testimonio, verum etiam literarum praeconio apud posteritatem celebretur. Nullum enim aliud praemium a nobis desiderant ii, qui aliquando praeclare de republica meruerunt. Quod eo quidem magis faciendum est, ubi praestantium virorum et imperatorum quadam veluti inopia vehementius laboratur. Etenim cum nullus stimulus virtuti major sit, quam ille laudis et gloriae, qui gestis rebus aliorum predicantis, vel maxime admovetur: sane ut mea fert opinio, aut nullo, aut hoc ipso solo, ad bene de aliis merendum, homines excitantur. Neque enim quisque non tam arrogans, quam dissolutus est, qui quod nomen obtigisse aliis ob virtutem intelligit, suum quoque aeternitati consecrari, et laudes decantari suas non libentissime patiat. Cum adeo et Themistocles ipse trophæis nescio cujus inflammatus, somnum capere

non potuerit. Quo circa quidem nemo miretur, si ego Joannem Comitem Tarnovium, castellanum cracoviensem et summum in Polonia belli ducem, virum in hac republica post hominum memoriam clarissimum, laudandum mihi proposui, qui non solum eorum qui vivunt gloriam, verum etiam antiquitatis praestantiam virtute sua adaequavit. Natus is est ex familia ea, quae semper virorum praestantium in republica feracissima fuit, et integerrimos senatores, fortissimosque belli duces permultos habuit. Non quoad longissime potest quis eruere seriem ipsius antiquitatis, et principia rerum pervestigare ultima, ab hinc fere quadringentos circiter annos floruit Spicimirus Comes Tarnovius et cracoviensis castellanus, ut generis sic urbis ejus auctor, quae Tarnoviorum vetus est domicilium. Ex hoc ii qui orti fuerunt, in familias tres, tanquam in capita tria diducti sunt. Quarum altera Jaroslaviensis, Melstina altera, Tarnoviensis fuit tertia. Et quidem earum singulae licet permultos excellentes homines reipublicae progenuissent, tamen inter reliquas Tarnoviorum familia tenuit principatum, ex qua tanquam ex equo Trojano viri et consilio graves, et bello acres, et rebus gestis clari, pene innumerabiles prodierunt. Ut minime mirum videri debeat, si hic noster Tarnovius iis majoribus ortus, et Pompejo fortitudine, et Syllae felicitate, et Catoni constantia, et Bruto amore in rempublicam par, ne dicam superior videatur. Nam cum patrem Joannem Tarnovium castellanum cracoviensem palatinum habuisset avum, sic majorum suorum institit vestigiis, ut eorum gloriam et virtutem ipse quoque illustraret. Erant autem parentis ejus fratres quatuor Tarnovii, qui omnes nihil humile, nihil abjectum vel obscurum, sed magna et illustria cuncta, in Tarnoviorum familia nasci docuerunt. Ex his duo, quorum alter Joannes Gratus, Joannes major alter vocabatur, magno omnium desiderio et gravi vulnere reipublicae, in clade illa Warnensi cum rege suo occubuerunt, posteaquam animi et fortitudinis suae clarissima signa edidissent. In Joanne quidem natu grandiore, tam incredibilem ardorem animi et vincendi cupiditatem ferunt extitisse, ut ei non modo mea, quae minor quam mediocris est, sed

vix alicujus par possit oratio reperiri. Is bello turcico cum arx Pszehii ab eo ejusque sociis oppugnaretur, primus fuit, qui ad portas arcis accesserit, primus qui confertissimis hostium tellis sese obiecerit, et duobus maximis et periculosissimis acceptis vulneribus, portas arcis effregerit, effusam multitudinem armatorum exceperit, et terga dare coëgerit, ac suis ad victoriam animum et facultatem praestiterit. Qui ipso facto non modo Vladislaum regem et commilitones suos in admirationem sui traxit, verum etiam hostes ipsos in stuporem quandam rapuit, et nomen virtutemque suam aeternitati consecravit. Habet enim vel in hoste virtus nescio quid admirationis et recordationis sempiternae. Quid Joannes Amor nostri hujus Tarnovii pater, eratne fratribus suis, de quibus diximus, inferior? Minime. Immo vero par bellica gloria semper, honoribus vero quibus perfunctus est in republica multo etiam superior atque clarior. Etenim cum honores eos, quos avum, attavosque suos adeptos fuisse noverat, virtute praestantibusque in patriam meritis ipse quoque fuisset assecutus, sic haec excoluit, ut tanquam propria et praecipua generis et seminis sui ornamenta in familia Tarnoviana collocaret. Erat quippe non modo bellicis laudibus, verum etiam civili prudentia et maximo maximarum rerum usu, inter suos commendatus, adeoque facultate dicendi, et militari quadam praestans facundia, ut fractas et debilitatas civium suorum mentes, adversus hostem evexisse, bonos patrociniis suis conservasse, perditis labem et rui nam attulissetitium controversias, et intestina odia mature restinxisse, multaque alia sulumaria reipublicae saepe numero perfecisse memoretur. Hoc ejusmodi patre, matre vero Zavischi cognomento Nigri nepote, foemina lectissima, Joannes Tarnovius procreatus, quod exemplum non dedit virtutis, probitatis, continentiae, et fortitudinis suae inde a pueritia singularis. Sed ego hoc loco avum ejus maternum, virum aeterna memoria dignum, tacitus praeterire non queo, et nec debeo quidem, propter animi et virium ipsius robur, toto orbi admirandum. Is enim Arragonium quandam florentem aetate, et viribus corporis maximis sibi praesidentem, ac contumeliose alios provocantem, sic

compescuit, ut Sigismundo caesare et Carolo Gallicarum rege inspectantibus, singulari certamine mirifice eum superaverit. Mox vero idem, cum aetate processisset, obiit legationes multas atque honorificas, cum magno usu reipublicae, et poloni nominis dignitate. Sed in Bohemia cum ad caesarem legatus esset, contra jus gentium ab hostibus captus et aliquandiu est detentus. Ex qua captivitate dimissus ita praeclare se et cum omnium admiratione gessit, ut non hominum voluntate ad vitam in libertate agendam carcere solutus, sed ipsius Praepotentis Dei Optimi Maximi nutu et potestate, ad gloriosam mortem pro republica obeundam emissus videretur. Etenim cum in illa infoelici et funesta pugna quae Sigismundo caesari cum Turcis fuerat, praetoriae cohorti esset praefectus, caesare transmisso Danubio, in tutiora loca conferente, se ipse in ulteriori ripa apud suos mansit, et nequaquam caesaris etiam jussu oblata navicula, loco cedere voluit, immo potius exclamavit: malle se inter suos spiritum profundere, quam turpi fuga mortem honestam devitare. Magnificam vero vocem, et magno ac praeclaro Tarnoviis proavo dignam, a quo ipsa voce sive sententia, neque animus, neque exitus dissenserunt. Sic namque Zavischius tanquam alter Decius in adversam hostium aciem incitato se infert equo, obvios sternit et obtruncat, et in mediam hostium legionem jam perrumpit, dum ab hostibus undequae tandem circumseptus capitur, et in contentione barbarorum eam praedam sibi deposcentium, dissecatur. Viveres utinam Zavischii, aut vero tui similes haberet respublica plures, qui parentam aspectu, conjugum liberorumque suorum charissimis pignoribus posthabitis, mortis periculum, captivitatis et servitutis metum, dolorem vulnerum, cruciatus hostium subire non recusarent, potius quam afflictos et perditos socios, dissipatos exercitus, eversionem reipublicae, fugam commilitonum, mortem suorum intueri. Atque haec quidem de Zavischio dicta sunt, cujus quatuor filii, paternam virtutem veluti luculentam quandam haereditatem persecuti, bellis tunc in republica maximis, omnes pro patria magna fortitudine dimicantes, fuerunt interfecti. Nunc ad ipsum Tarnovium

festinat oratio, cujus pater Joannes Amor nuncupatus, cum Zavischii neptim in matrimonium sibi ascivisset, non modo bonitate, sed etiam foecunditate uxoris beatus, suscepit Joannem filium et Zophiam cum eo filiam, quae Foelici Ligeza, rarae probitatis et spectato viro, fuit postea elocata. Qua eautem Catherina Szczebrzeschenia priore conjuge lectissima nati fuerant Tarnovio filii, eorum alter Vallachico apud Buccovinam proelio extinctus est, domi vero clarus alter, florentibus annis, immaturo morte in vivis esse desiit, et soli huic Joanni Tarnovio non modo haereditatis, verum etiam virtutis avitae possessionem excolendam reliquit. Qui tantum abest ut a perhenni et contestata majorum suorum nobilitate discederet, ut etiam praeclarissimis gestis rebus, magis atque magis eam ornaret et illustraret. Nam ut a teneris (quod ajunt) unguiculis, ea quae in eo potissima fuerant, breviter et succincte persequamur. An quemadmodum in herbis maturitas quaedam est, sic in Tarnovio videre non fuit, quantaefructus virtutis et fortitudinis ipsius expectari poterunt et debebant. Forma ei non muliebris fuit, sed viro digna, ut pote qui non subesse, sed praeesse aliis debuerat, et magnis rebus gerendis natus videbatur. Ingenium tam acre atque foelix, vix ut legendi et audiendi cupiditate flagraret aliquis vehementius, et ea quae semel memoriae mandata erant, tenacius retineret. Ad ea vero bona, quae natura largita ei fuerat, accessit commemorabilis quaedam ratio conformatioque doctrinae, et educationis puerilis, quae effecit, ut illa insita vis ingenii, fructus postea ederet ex se uberiores et praestantiores. Tantum enim in educatione est positum, quantum civilis prudentiae, literis et usu, tractationeque rerum continetur. Et quoniam eorum educatio, qui capessere debent rempublicam, duabus potissimum rebus, animi et corporis exercitatione definitur, quam viam seu rationem in utraque Tarnovius tenuerit, videmus. Primum quidem defuncto patre, qui annum aetatis suae quartum et octuagesimum exegerat, in tutelam matris pervenit, foeminae prudentissimae et integerrimae, cujus cura et sollicitudine educatus, cum primum per aetatem licuit, non modo literis imbutus

est, verum etiam omnibus eis praesidiis instructus, quae ad honestatem morum, et vel imprimis ad Dei Optimi Maximi cultum pietatemque pertinent. Factus autem adolescens, ingenium multa audiendo, aliqua etiam scribendo, ipse excoluit, et cum praecipua nobilitatis studia habeantur, equis, armis et venationibus, uti frequenter et studiose iis studiis exercebatur, ut pote qui ex umbra et paletra in solem et aciem, pro republica erat aliquando proditurus, et a ludicra illa armorum tractatione, ferarumque venatione, maxima bella domi et foris administraturus. Neque vero (ut plerumque fit) aut aetate ad libidinem, aut opibus ad luxuriam, aut majorum imaginibus ad superbiam excitabatur, sed erant in eo supra aetatem omnia moderata; temperantia libidini, frugalitate sumptuum cupiditati, moderatione animi superbiae resistebat, nec aut per luxuriam sua perdenda, aut per voluptatem turpiter aliquid faciendum, aut denique id quod ipse non fecisset, temere sibi vendicandum arbitrabatur. Quae nimirum prima et praecipua laus in Tarnovio fuerat. Cum enim ociose et delicate domi suae vivere, cum majorum gestis rebus contentari potuisset, et opulento patrimonio secure frui, tamen perpeti aliquid, et adeo etiam labores et molestias aulicas ferre maluit, quam vitam in ocio terere, inertem et obscuram, servo, quam tali tantaque familia nato, digniorem. Contulit se statim ad eos lubens, quorum convictum et generi, nominique suo ornamento, et rebus domesticis adjumento, et denique aetatulae suae praesidio futurum judicabat. Ac primum Friderico cardinali, Sigismundi regis fratri, principi moderatissimo atque prudentissimo, adjunxit se. Postea vero e vivis cardinale sublato, apud Drevecium, regni cancellarium, versabatur. Demum in aulam Alberti regis ascitus, ita sese gessit, ut mox'ec mortuo, Alexandro et Sigismundo regibus esset charissimus, et in summa honorum ac magistratuum reipublicae, apud omnes expectatione. Jam vero non tantum suae gentis praestantissimos viros, sed externos etiam reges et imperatores, et praeclarissimos quosque vidit homines. Ac in celebri illo Possoviensi trium regum conventu, multa quae postea usui sibi forent, perquam diligenter notavit, et de

belli gerendi ratione, prudentum inter se sermones et disceptationes non auribus tantum, sed poeniciore quadam cogitatione animi exorbuat. Nihil enim apud eum fuerat prius sive antiquius, quam ut sicut in ludicris et simulatis certaminibus exercebatur puer, sicuti ferarum venationi et exercitationi corporis operam dabat, ita postea in excubiis agendis, perferendisque militiae oneribus, hostes fundendo, suos tuendo, regi et civibus fortitudinem industriamque suam probare potuisset. Hinc Vallachico bello contra Bogdanum palatinum Moldaviae, a Sigismundo rege suscepto, in militiam profectus est. Deinde vero triennio post, in eo praelio quod apud Wiśnievicium cum Tartaris, gente fera et immani fuit gestum, et denique in Orschensi pugna contra innumerabiles Moschorum copias, Tarnovius talem praestitit se, ut virtus et industria ipsius omnibus esset admirationi, illi vero laudi et celebritati sempiternae. Etenim cum eorum ex numero esset, qui amplissimis familiis orti, non ulla delectus necessitate, non stipendiorum spe, sed voluntariis studiis, laudis et gloriae ipsius ductu, in bellum proficiscerentur, exercitusque ille haberet neminem, qui ducis et moderationis instar eos gubernaret, ad unum Tarnovium, summa omnium contentione et alacritate delatum fuit imperium, non eblanditis sed enucleatis suffragiis, non verborum lenocinio, sed summo bonorum iudicio, ut quis et quantus iste esset, qui et consilio regere, et auctoritate tueri, et virtute conservare suos videretur, omnibus appareret. Neque vero fefellit de Tarnovio commilitones opinio. Nam cum id muneris propter eorum erga se voluntatem recusare non posset, et propter gloriae aviditatem nollet, facile tandem re ipsa testatus est, nec fortitudine similem, nec industria parem illi in exercitu fuisse. Eduxit ex cartris copias, Svirczovium, qui polonis stipendiariis erat praefectus, ut se recolligeret, et signum pugnae daret, monuit, tumultuantium mentes ad spem triumphi, quem animo conceperat, erexit, et infinitum hostium numerum, ante tempus victoria exultantium, loco et statione deturbavit. O admirabilem adolescentis ad decus et praesidiem patriae nati fortitudinem! O robur animi, virumque praedicandum! Vidisses in illo bello

Tarnovium primum omnium hostium consilia persentire, hostes in acie ferire, fugientes suos a fuga avertere, laborantibus succurre, cadentes sublevare, omnia denique et singula, tam militis quam imperatoris exequi munia, prout vel disciplinae militaris ratio, vel hostium impressio, vel rei brevi gerendae occasio requirebat. Accedebat vero et ad ducis ipsius laudem, et ad civium laetitiam, et ad virtutis communis testimonium sempiternum, quod cum occidione occisi fuissent hostes quam plurimi, tamen exercitus ille cui praefuerat, ita permansit incolumis, ut non multos admodum in iis, qui adversus hostem effrenacius se incivitaverant, aut etiam persequendo erant pertinaciores, ea ex victoria desiderasse videatur. Age haec tanta et tam incredibili victoria, primum quidem Constantini Ostrogii, summi in eo bello ducis, postea partim Tarnovii, partim Svirczovii foelicitate parta, an hic noster aut praeteritorum laborum periculorumque recorde deterritus, aut voluptatum illecebris irretitus conquievit. Minime gentium. Immo vero et in periculis factus est audacior, et in laboribus patientior, et in voluptatibus denique abstinentior, cum et insolentiam bellandi militiae usus, et laborum molestiam consuetudo, et voluptates tanquam blandissimas dominas, acres curae contentionesque detraxissent. Vixit semper occupatissimus, et tum in gestis rebus clarissimorum virorum legendis, aut audiendis, tum in legibus institutisque patriae perdiscendis, tum denique in armis, equis et bellico apparatu, metationibusque castrorum, et in ordinum exercituumque ductandorum instruendorumque artibus cognoscendis, perpetuo versabatur. Atque iis jactis et fundatis adolescentiae suae fundamentis, cum tantum in patria gloriae esset consecutus, quantum fere animo suo concupivit, quod a tot praestantibus viris, multis ante saeculis facitatum fuisse cognoverat, id sibi etiam et libenter et studiose faciendum aestimavit, ut ad remotissimas quasque gentes et nationes proficisceretur. Multum enim refert, si ad bonitatem ingenii, cultura alieni soli accesserit. Quo ego loco hunc nostrum Tarnovium Ulyssi etiam ipsi indubitanter anteponam. Hic enim invitus, Tarnovius lubens. Hic Ithaca patria tanquam nidulo quo-

dam saxo affixa, hic amplissima florentissimaque re-  
 publica. Hic foeminae raptu perturbata Graecia, ille ex  
 portu tranquilissimo patriae, ex amplexu suorum, ex  
 augusto domicilio honorum, in tot tantaque pericula, asperi-  
 tates viarum, difficultates itinerum se coniecit (breviter  
 ut dicam) inflammatus sola cupitate videndi, audiendi,  
 perdiscendi. Cum enim ad Orscham Moschovia fracta,  
 aliisque feris et barbaris nationibus respublica in tran-  
 quillo posita videretur, Tarnovius in Italiam profectus  
 est, quam parentem scientiarum omnium, arcem provin-  
 ciarum, fontem civilitatis cum perlustrasset, rediit quidem  
 in Poloniam ipse salvus, sed patrem castellanum cra-  
 coviensem reperit mortuum, virum omnibus saeculis me-  
 rito praedicandum. Gravis hic casus et peracerbus Tar-  
 novio fuit, multo enim major voluptas est, quam habere  
 parentes virtutum suarum spectatores. Sed tamen illo  
 in dolore atque luctu, quem cum bonis multis commu-  
 nem habuerat, sic sibi temperavit, ut nec prorsus dolere  
 nihil, nec angoribus perpetuis et muliebri ejuslatu con-  
 ficere se videretur. Itaque patris sui corpore in sepul-  
 chra majorum condito, justisque pro more et dignitate,  
 ut par est, persolutis, rursus in Italiam reversus est. Quam  
 peregrinationem cum sibi cum multis communem esse,  
 semperque fore, intelligeret, contentus ea non fuit, sed  
 longe majorem difficilioremque aggressus, orientem fere  
 totum peragravit. Fuit in Syria, Palestina, Judea, Arabia,  
 ubi multa loca, partim ob antiquitatem clara atque me-  
 moranda, partim ob religionem sacrosancta invisit. De-  
 mum occidentem versus vertere etiam vela (quod ajunt)  
 voluit, et maximis itineribus, ad Emanuelem Lusitano-  
 rum regem tandem pervenit: Diceres ex Aquilone pro-  
 diisse neminem, cujus occidui reges sive nationes in  
 maximis rebus opera industriaque uterentur. At ego in  
 multis, vel hoc ipso Tarnovio planum tibi faciam, quam  
 maximo usui et dignitati exteris etiam gentibus atque  
 nobis, Poloni extiterunt. Cum enim Emanuel Por-  
 tugaliae rex africano bello gravi illo sane et diuturno  
 implicatus teneretur, a Tarnovio, quem jam multa vidisse,  
 et tum legendo, tum audiendo didicisse perspicuum fue-  
 rat, sic adjutus est, ut non pressa leviter, sed firmiter

fixa virtutis ejus vestigia, in Lusitania remanent. Adiit, juvit, ornavit victoria Tarnovius Lusitanum, ita quidem, ut cum in patriam spectaret, ab illo ipso rege, non sine maximo retinendi illius desiderio, nec sine clarissimis virtutis elogiis atque litteris et amplissimis muneribus dimitteretur. Quae quidem munera apud duces Ostrogienses hodie etiam asservantur. Ex Lusitania per Hispanias et Gallias iter fecit, praestantissima regna, nobilissimasque totius Europae nationes. Demum venit in Angliam, insularum maximam, postea universam Germaniam, tam superiorem quam inferiorem, nec non et Bohemiam, suae gentis consanguineam, perlustravit, et erit cuiquam dubium, huic uni post homines natos, magistratus, exercitus, imperium committi in Polonia non solum potuisse, verum etiam debuisse. Cesset in his tantisque viris invidia, non livore virtus, obtreptione gestae res eorum obscurantur. Enim verò ignoramus, indignissimum esse praefici navi nautae filium, si illius artis expertus habeatur, munera et functiones reipublicae, iis qui nullam earum administrandarum scientiam consequuti sunt commitemus. Sed videamus ex hac et tam laudabili educatione et peregrinatione Tarnovii, quot demum fructus coeperit respublica. Ego enim sic existimo, eos, qui praeesse aliis non modo velle, verum etiam scire debeant, qualis re, et non nomine Tarnovius fuerat, iis quatuor rebus instructos et ornatos esse oportere: in Deum Optimum Maximum pietate, virtute, foelicitate, auctoritate. Quae quanta in Tarnovio fuerunt singula, licet nemo non sanus, quoad vixit fatebatur, tamen mors ipsius apertius declaravit. Est enim haec veluti macula quaedam aetatum hominumque omnium, virtutem praesentem negligere, sublatam frustra exoptare. Quod ut planius fiat, bellorum incendia, quae salute hujus reipublicae Tarnovius restinxit, breviter enumerabo. Habebat Polonia inter alios, maximos et ferocissimos hostes duos, superiorum temporum victoria elatos, vicinitate graves, omnium crudelitatis genere jam pridem notatos. Quorum alter Vallachus, Moschus alter dicebatur. Sed Vallachus fuit prior, qui clade sua nomen Tarnovii illustraret. Is ad Buccovinam sylvam de Polonia victoria parta, usque

eo exultabat, ut illam maculam belli offensione susceptam, insigni victoria aliqua, de memoria inimicorum delere, aut morte terminare necessarium Tarnovius statueret, et non facile antiquius aliquod apud se omnino iudicaret. Accedebat ad publicam patriae causam, privatus quidem, sed justus dolor ex nece Alexandri fratris, Buccovina clade susceptus. Qui illum ut debebat, ad fraternam caedis Injuriam hostium cruore expiandam, vehementissime concitabat. Jam vero et ipsum imperatorium nomen, quod regis sapientissimi iudicio et summo ordinum omnium consensu, ad eum delatum fuerat, stimulos ei admovebat, ut nihil tam durum tamque difficile ei videretur, quod perfecturus non esset, cum libenter, tum etiam studiose. Itaque hostis adventantis fama, qui Poccuciam erat ingressus quinque millia armatorum, quos tumultuarie collegerat, duxit in expeditionem. Ibi cum sex millibus hostium congressus, qui viris, armis, equis abundabant, parvo negotio, ita omnes fudit, ut valde superessent pauci, qui suorum cladis nuncii in patriam remanerent.

Age ipsum Petrum Vallachiae palatinum cum viginti quinque millibus hominum adventantem, et Polonorum copias non modo numero, verum etiam omni bellico apparatu superantem, quanta fortitudine animi, quanta celeritate et magnitudine consilii, quanta denique foelicitate ad Obertinum proelio superavit, quis ignorat? Legimus in veterum scriptorum annalibus, multos imperatorium nomen consecutos fuisse, quorum copiae duo millia hostium peremissent. At enim noster Tarnovius, tot hostes interfecit, quot milites in exercitu non habuit, cum tot fere signis sua signa contulit, quod in suis castris decuriones non numeravit. Testes sunt manubiae, testes tormenta multa, quae partim templa, partim armamentaria hujus regni, illo ex proelio repleverunt. Vidisses principem Vallachorum Petrum, qui certissima victoriae spe inflammatus, huc et illuc volitabat, confectum, vulneribus debilitatum, metu abjectis armis ex proelio fugientem. Vidisses infinitam Vallachorum multitudinem paucorum Polonorum virtute fusam, terga dare, et Poccuciam provinciam ubertate agrorum, bonitateque pasti-

onis praecellentem, non modo calamitate sibi detracta, verum etiam dignitate quodammodo aucta, tanti imperatoris fortitudine exultare. Quid idem iste hostis Vallachus perfidus, infidiosus semper, cum paulo post relictis viribus Russiae immineret, an ab hoc eodem Tarnovio non ita repressus est, ut cum Choczimiam arcem, unicum Vallachiae propugnaculum, ad Nestrum fluvium Russiae objectum, summa virium et animorum contentione, Poloni oppugnarent, a rege Poloniae supplex pacem petere, et imperata ejus facere cogeretur. Tantum, mea quidem sententia, in unius viri invieto animo et consilio est positum, ut cuncta et praesidia stabilitatis, et ornamenta dignitatis, per eum reipublicae afferantur. Secutum est postea bellum illud Moschoviae, fama et opinione magnum, exitu gloriosum, hostium internecone memorandum, quod Starodubensis vulgo nuncupatur. Quo quam vere imperatorium decus et scientia in Tarnovio enituerit, videamus. Hunc enim solum, plus quam copias Polonorum sibi dari Lithuani deposcebant. Qui magnis itineribus ex Polonia profectus, accepto sibi veluti socio adiutoreque laborum Andrea Comite Gorcano, viro splendidissimo et opulentissimo, qui militares etiam Polonorum copias dubitabat, hostium fines sic ingressus est, ut hostibus primum fama sui nominis perterritis, et aliquot locis municionibusque aliis captis, ad Starodubum arcem, loco et multitudine defensorum munitissimam, facile accesserit. Erat in ea arce quidam, qui Owczina dicebatur, haud impiger belli dux, qui cum strenue et fortiter aliquandiu sese defendisset, ita tamen Tarnovii virtute et arte quadam expugnandarum arcium singulari victus atque captus fuit, ut illius arcis expugnatio, hostibus terrorem cum desperatione perpetui temporis attulisse videatur. Unum erat, quo tanti imperatoris nomen, ea victoria partum, inusitatae cujusdam crudelitatis fama disseminata, rude et imperitum vulgus, negligens sua, carpens temere aliena, non obscure sugillaret. Cum enim Starodubo capta, et universa illa regione in potestatem suam redacta, tantum captivorum numerum Tarnovius cerneret, quanto nec commeatus suppeditari posse, nec victor miles par et tutus esse videretur, omnem illam

hostium multitudinem, qua integra integer nostris haud patebat reditus, gladio percussit, quod in hoste, qui non pacis conditione, sed belli contentione in potestatem suam venerat, id sibi licere expedire aut reipublicae iudicaret. Quod ipsius factum, quamlibet quis ut volet reprehendat, ego sane plus dabo prudentissimi imperatoris consilio, quam distorto vulgi iudicio, apud quod non ratio, non discrimen, non majorum usus, non exempla unquam valuerunt, a quo quod aliquando esset dictum aut factum, prudens antiquitas non tam laudandum, quam tollerandum sibi esse estimavit. At enim videamus, cum duo haec pene incredibilia inventu in uno eodemque homine videantur, fortitudo et humanitas, animus subeundis periculis acer, et cui vicissim erga hostes fractos et debellatos mansuetudo et clementia tribuatur, quae et quanta haec omnia in Tarnovio extiterunt. Nihil enim illo duce et imperatore natura fuit lenius, nihil placabilius, nihil mansuetius, qui ad puniendum aliquem ita semper invitus descendebat, ut illius dolore et periculo maxime permoveretur. Qui cum omnium princeps esset dignitate, tamen vel infimis par fuit humanitate, cujus hostes ut ante pugnam virtutem timuerunt, ita victi et debellati summam mansuetudinem praedicarunt, et quisque dubitabit eum, cujus antea vel ignotis comitas, fortibus clementia, amicis benevolentia fuit praesto, tam severum in hoc etiam casu futurum non fuisse, si ei persona tam gravis et severa a republica non fuisset imposita, qua ille in civium suorum periculo, non ulla immanitate animi excitatus, sed extrema necessitate adductus, erga gentem feram et barbaram, quae per alienum latus nostrum petebat caput, et toties sanguinem exorruit nostrum, utebatur. Sed quid ego ago? Quo vehor? Quid aggredior? A facti excusatione et mansuetudinis laudatione Tarnovii orsus, in tam ingens pelagus virtutum ejus ingressus sum, ut nefas videatur praeterire, vel aliquas factu incredibile cunctas oratione percensere. Quid enim et de temperantia Tarnovii loquar? Quae nimirum unica et praecipua virtus est, quae custodi patriae, exercituum imperatori, et in quadam veluti vigilia et statione posito pro republica tri-

buatur. Atque ut a sobrietate ipsius primo loco ordiar, cum qui aliorum custodem se profiteatur, nonne suae salutis et dignitatis custodem esse primum oportere? Male enim habet se res, cum is, qui vigilare aliis dormientibus debuit, ipse primum indormierit, et salutem sociorum prodiderit. Fuit igitur in dictu atque potu admodum Tarnovius temperans et moderatus, et ab intemperantia, quasi a foedissimo quodam domino, quem tot, tantosque alios in servitum suam redigisse didicerat, sibi cavebat atque abhorrebat. Quid in sermone familiari, congressu et collocutione, quam rarus obsecro et amabilis vir iste fuerat, quam plenus leporis et urbanitatis singularis? Hujus vita cum gravissimis reipublicae curis et sollicitudinibus distineretur, et cum quotidie plura incidere, de quibus die nocteque esset ei cogitandum, tamen vix aliquis affabilior in colloquendo, humanior in congregiando, facilius in animo remittendo et jocando, Tarnovio videbatur. Jam liberalitate tanta fuit, quanta potest esse maxima, quae sola virtus in potentium virorum et locupletum animis perpetuum habere debet domicilium, opes enim reipublicae moderatoribus ipsius ad largiendum aliis committuntur, non ad occultandum. Quid quod in avaricia principum illud etiam inest mali, quod ab aequitate et justitia soepenumero muneribus avocantur, et a perditorum conscleratorumque civium supplicio retardantur. Quae cum consideraret Tarnovius, primum quidem effecit, ut de sua, suorumque injuria, conqueri possent nulli. Postea vero beneficio ab eo obligatos agnoscerent se quam plurimi. Quid de splendore et magnificentia ipsius dicam? cujus non tam ad praesentis temporis recordationem, quam ad aevi perpetui memoriam, in hoc regno amplissima reliquit monumenta. Testis est Tarnovia, quam novis propugnaculis, aedificiorum templorumque locupletatione, castro denique ipso, quod non solum oppidanis, sed universae illi regioni esset receptaculo, illustravit. Testis arx Jaroslaviae, quae superiorum temporum negligentia atque vetustate tota ferme corruerat, hoc vero auctore est erecta. Testis Staresolumpolis Russiae provinciae municio constituta. Huc accedunt legationes pro republica magnis

sumptibus ab eo obitae, et exterorum principum legati non modo humanissime hospicio excepti, sed muneribus etiam liberalissime honestati; postremo multa bella ab eo gesta, et susceptae pro republica expeditiones, ea quae omnia non tam ex erario aut sumptu publico, quam patrimonii opibus, facultatibusque sustentata. Sed neque minor aut posterior ea laus Tarnovii fuerat, quod cum earum rerum, quas vel ipse gessit causa, vel majores ipsius in republica meruerunt, gratia, oblatae illi essent amplissimae et honorificentissimae dignitates, haud sane timide sive dubitanter eas acceptavit, ut pote is, qui patriae natus suae, et ad juvandam ornandamque eam educatus videretur. Ut enim stulti et temerarii est honores appetere, sic oblatos respuere sibi ipsi dissidentis. Quod idem magister ille morum et princeps philosophorum Plato, sensit etiam aliquando, qui cum gubernantibus rempublicam honores et opes veluti quaedam certa praemia praeposuisset, simul quoque in eos sanxit poenam, qui munera functionesque illius, vel propter difficultatem abicerent, vel ob desidiam aspernarentur. Quae scilicet poena perpeffione et molestia ex eorum dominatu, qui minus digni rempublicam capescebant, continebatur. Hoc cum Tarnovius apud se expenderet, honores quidem ullos, vel privatim, vel publice, non ambivit, tamen ultro et voluntarie oblatos, nunquam etiam est aspernatus, sed ut sustinendo par ei esset, neve eum locum, quam ille locum magis exornare diceretur, quantum in eo fuit, semper curavit. Quod cum assidue faceret, et respublica summa viri illius virtute et gloria magna cum omnium bonorum voluptate perfruebatur, et ille vicissim virtutis et dignitatis suae fructum uberimum capiebat, cum iis in honoribus, quos ob praestantiam virtutis prae caeteris generis et ordinis sui hominibus fuerat consecutus, tanquam in illustri aliquo et excelso loco, rerum a se gestarum laudes, quas omnis aeternitas intuebitur, mentis oculis contemplaretur, et spem immortalitatis animo conciperet sempiternae. Quid? Solisne iis virtutibus, quas enumeravi conspicuus atque laudabilis Tarnovius fuit? Minime. Immo vero cum ob alias virtutes multas, tum ob justitiam quoque, maxime cla-

rus atque admirandus, sine qua everti florentissima regna, profigari instructissimos exercitus, clarissima deleri imperia, et omnia tam publice quam privatim pessime geri, quis est, qui non intelligat? Velim enim, quis consideret omnia illa regna sive respublicae, in quibus non modo legum, sed neque parietum praesidio quisque tutus fuerat, in quibus jus et justitia veniebant, quonam tandem devenerunt. An a florenti statu in miserias, a pace et quiete in turbas et seditiones, a summa libertate in extremam servitutem non ijerunt praecipites? Nulla enim magis re, quam immoderata libertate libertas amittitur. Hanc igitur tantam et tam admirabilem virtutem, qua regna fundari, exercitus conservari, veram libertatem retineri, Tarnovius didicerat, sic semper coluit, ut ne latum quidem unguem (quod dici solet) ab ea discederet, et nec precibus, neque admonitionibus ullius in ea administranda locum relinqueret. Nullae hoc imperatore provincialium de exercitu, nullae militum de centurionibus, nullae subjectorum de praefectis, quaeremoniae audiebantur, nulli ob furta et rapinas militum supplices libelli regi dabantur, nullae in acta publica testimonia inserebantur. Nihil hoc praeside cuique patroni sui eloquentia, nihil divitiarum copia, nihil amicorum profuit potentia. Extant multa castrensium atque militaris disciplinae et severitatis illius exempla. Extant signa, documentaque propemodum infinita. Sed ego multis unum proferam, ut quid de reliquis sentire debeamus, facile appareat. Bello Vallachico miles quidam domi nobilis, et apud suos gratiosus, mulieri vulgatae pudicitiae in castris vim intulit. Hujus nomine ad imperatorem Tarnovium mox delato, reus appellatur, et testes statim producuntur. Quid multa? Condemnatur miles capitis, et fide publica ab imperatore obstringitur, at pote is, qui peracto bello gravissimas poenas sui sceleris erat subiturus. Laborant interim ejus causa multi, ipse supplicem veniam petit, et imperatoris implorat misericordiam. Non desunt ii, qui hoc levius esse crimen quam ut capite expiari debeat testificantur. Multum in imperatoris clementia universo exercitui esse positum, nec omnia etiam minima severitate suppliciorum in militibus vincienda.

At enim imperator, qui tantum in exemplo mali esset, non ignorabat, et quid imperatoris severitas, militarisque disciplina postulet, alias didicerat; militem ad se vocat, quid promeritus sit demonstrat, quid militaris disciplinae rigor expostulet ab eo testificatur, et denique confirmat, scelus illud aut morte certa, bello seuito, aut vero in bello ipso mortis periculo expiari ab eo oportere.

Arma hominem jubet sumere, jubet equum conscendere et praesentem ignominiam, turpi injustam scelere, recenti aliqua virtute abolere. Ille tum adolescens, quasi qui multo ante in acie versari, et manum cum hoste conserere habebat apud se constitutum, voce imperatoris sui excitatus, in confertissimam hostium multitudinem, longe suorum, relictis copiis praeceps se immittit, aliquot interficit, vulnerat complures, ipse maximis confectus vulneribus ex proelio in castra redit, et gravissimis vulnerum doloribus ad mortem usque conflictatur. In quo tamen dolore atque cruciatu, non aliud virtutis suae praemium, quam delicti veniam efflagitat, et decoris honestatisque studium, vita ipsa antiquius ostendit sibi fuisse. O adolescentis virtutem, o imperatoris justitiam et equitatem singularem! Omitto caetera quae nonnulli gravissima ducunt de aequitate Tarnovii testimonia. Nam et ante mortem annos aliquot in Striensi praefectura, Ruthenum sacerdotem, hominem raptu vivere solitum, ob idque locupletem factum, gravi affecit supplicio, frustra pro eo centum boves amicis ei pollicentibus, misericordiamque imperatoris implorantibus.

Quid cum sylvas Tarnovianas praedones infestarent, nonne ejus studio et vigilantia perfectum est, ut actis in crucem praedonibus, hoc malo liberaretur respublica.

Sed jam ad aliam etiam justitiae partem, quae a vi injuriaque aliorum a se suisque propulsanda continetur transeamus. Summa enim haec quoque in Tarnovio fuit, a qua nec potentiorum odiis et inimiciciis, nec sumptuum magnitudine, neque ullis negotiis et occupationibus se avocari, neque laboribus et periculis absterreri paciebatur. Ad hunc Joannem Tarnovium, Joannes Ungariae rex, motu et tempestate Ungariae ejectus cum venisset,

an non humanissime hospicio cum suis exceptus est, an non altus? an non defensus ab insidiis hostium et inimicorum maximorum.

Extant adhuc grāti hospitis in Tarnoviano templo gratissimi animi monumenta. Signa virtutis et amicissimi desiderii per omnem vitam testimonia, quibus hospes hospiti, a quo nihil non officiorum expertus fuerat, memori mente gratiam referebat. Cum enim idem Joannes rex Tarnovia discedens, omnium rerum necessariarum adjutus a Tarnovio copia, regnum recuperasset, accidit aliquando, ut Hieronymum Lascium bellatorem clarissimum injuste accusatum, captivum apud se faceret, atque Budae detineret. De quo liberando cum frustra Sigismundus rex, et ipse Tarnovius per filium et litteras toties missas laborasset, ipse in Hungariam profectus est, et tantum apud amicissimum regem autoritate valuit, ut Lascius carceri ereptus, pristinae dignitati et libertati, regiaeque amicitiae, nonnisi a Tarnovio restitutus diceretur.

Non commemorabo hoc loco alios, cum possem quam plurimos, quorum bona per vim sive fraudem ablata, ille recuperavit, quos a morte ad vitam, a periculis in quietem, a rerum omnium desperatione ad spem meliorem salutem revocavit. Jam enim ab aequitate et justitia Tarnovii, ad prudentiam quoque ipsius perveniet oratio, quae est tamque fons et origo quaedam virtutum omnium reliquarum, quae tanta et tam admirabilis in eo fuerat, ut sicuti tot virtutibus aliis fere omnes, sic hac demum sola scriptum superavit. Quis enim diceret, aut tot et tam potentes hostes domare, aut in tanta contentionum acerbitate incolumitatem exercitus tueri Tarnovium potuisse, nisi idem ille animus, qui ad depugnandum cum hoste promptissimus, ad suspicienda omnia pericula paratissimus fuerat, ad rerum futurarum conjecturam solertissimus, ad propulsandum metum diligentissimus in eo etiam fuisset. Non enim ut reliquos imperatores, aut exercituum magnitudo, aut locorum temporumque opportunitas victoria potiri eum fecit, non casus aliquis triumphis auxit, non aliena virtus imperatorio nomine et dignitate cumulavit, sed vicit primum

ipse se, deinde etiam hostes in alieno solo minimis copiis, et tot feras barbarasque nationes, non temeritate aliqua, sed summa bellandi scientia profligavit. Testantur hoc ipsius dicta atque facta, quae ab hominibus qui cum eo vixerunt prudentissimis notabantur. Quorum ego in multis aliqua saltem recensebo, et quomodo postea ad usum illa redegerit, commonstrabo.

In hoste duas res spectandas aiebat imprimis esse, loci intervallum et magnitudinem apparatus; si hostis finitimus haberetur, belligerandum in illius finibus, nec quoad depopulatis nostris agris, praedaeque abacta, ablatæ res repeterentur, temere expectandum.

Quod ipsum non verbis tantum, sed re et veritate in Moschovia comprobavit. Nam bello contra Moschum suscepto, Starorodubum usque processit, ipsumque ac complures munitiones alias, vi et armis occupavit, et ingenti praeda ex hostico abacta, suos ditavit. Mox bello Valachico Nestrum flumen trajecit, Choczimiam Vallacharum arcem invasit, atque universos eorum fines est depopulatus. Quid illud et quantum est, quod hostium copias nunque despiciendas inquiebat esse, nisi tum, cum sonitu tubae, praelio signum fuisset datum. Interim nihil abjectum et infirmum de hostibus cogitandum, nimirum prudens intelligebat imperator, suspicione excitari cautionem et diligentias, securitatem manere semper poenam. Atque sin alterutro peccandum videretur, praestaret cunctatorem, et omnia etiam minima magni apud se pendentem, quam temerarium aut futilem esse imperatorem. Itaque tam in suis quam in hostium consiliis occultandis, mirabili quadam arte et studio utebatur. Soepius milites voluntatem Tarnovii intellexerunt, quam cogitationes conjectura perspexerunt. Prius omnia viderunt, quam futura fuisse crediderunt. Fuit enim in eo belli duce maximus maximarum rerum et bellandi usus; ingenium majus, quam ut cum multis imperatorum in geniis conferri posse recte videatur; memoria rerum et verborum incredibilis, ad quam accesserat ratio quaedam conformatioque doctrinae, et litterarum ac historiarum adjumenta. Suae enim aetatis meminisse res, et temporum superiorum ignorare, est quasi semper esse puerum expertem

priscae illius antiquitatis, quae armamentarium miraculorum, humanarum rerum et actionum speculum, testis ut varietatis sic aequabilitatis temporum nescio a quo, non insulse appellatur. Ut enim resecto semel et iterum gramine, non producent prata aliud, quam utique gramen, sic et mundus is, qui nulla in re, qua in inconstantia magis sibi constat, humanis actionibus consiliisque spectandis, nihil nobis praestat novi, quod non aliquando accidisse etiam audiamus vel legamus. Jam vero vel maxime regibus bellorumque ducibus historiarum lectio commendata esse debet praeter ea, quod vel multis centenis annorum, si liceret vivendo videndoque tot et tanta in bellis assequi non detur, quam veterum scriptorum litteras et monumenta evolvendo. Quanquam in summo et perfecto imperatore utramque necesse est conjugatur. Cum enim omnes aliae artes et scientiae, tum maxime bellica et medica ars usu constat, et exercitatione diuturna. Hoc cum animadverteret Tarnovius, et ad imperatorum nomen atque functionem quam multa et magna requirantur probe nosset, quantum quidem per gravissimas licuit occupationes, totum se abdebat literis, et in evolvendis veterum scriptis et monumentis, quibus summorum bellatorum gestae res, multipliciaque stratagemmata inerant, continuo versabatur. Ejus rei gratia variam et praedivitem ac plane regalem bibliothecam in arce Tarnoviana habebat conquisitam, codices vetustissimos, libros manuscriptos propemodum infinitos, doctorumque hominum consuetudine inprimis delectabatur, quibuscum assidue vivendo, colloquendo, commentandoque, multa quae domi et militiae usui esse possunt adinvenit et conscripsit. Fertur enim nonnulla de imperatoris et marschalci regni officio mandasse literis, et de bello contra Turcas gerendo, (si aliquando ingrueret belli ipsius necessitas) scripto comprehensa, Sigismundo Augusto regi secreto communicasse, Polonorum namque comitia, non aliud esse debere affirmabat, quam perpetuam belli Turcici meditationem, propterea, quod ut solers providusque venator, securus ferarum, quas vivario obsepivit suo, quoad diutissime potest alibi venando occupatur, ita et Turca a

Polonia, nec inconsulto, neque invitus interim abstinet, dum per orbem terrarum et vicina regna alia perbachatur, ratus quando collibuerit, Poloniam futuram suam, et quavis tarditate occasionis, non magno negotio in potestatem Turcarum perventuram. Quid? quanta juris prudentia in Tarnovio fuit, an commentaria ipsius, omnibus (quod ajunt) numeris absoluta, non facile sunt indicio? quae partim in lucem edita, in manibus teruntur permultorum, partim adhuc edenda asservantur. Quid ego de singulari indicenda sententia, gravitate, copia, elegantiaque ipsius loquar? quae duo sunt veluti quaedam lumina et praesidia senatoriae dignitatis? Juris enim scientia lucem magnam affert versantibus in republica, ex literarum autem doctrina, et ex varia ac multiplici rerum cognitione, oratio in senatu efflorescit. Qua de causa non solum ipse, inde ab ineunte aetate, literis operam dedit, verum etiam Joannem Christophorum unicum suum filium quam diligentissime instruendum iis curavit, utpote eum, quem non modo in patrimonii, verum etiam in virtutis et honorum paternorum haereditatem perventurum, certo sibi pollicebatur. Quae sane illum non fefellit opinio. Etenim sic a pueritia ad omnem humanitatem conformatus, et visendis tot exteris gentibus nationibusque excultus, facile consecutus est, ut adhuc vivente patre, in Sigismundi Augusti regis senatus castellanus Woiniciensis spectaretur. Cujus unicum sororem, suam autem filiam Zophiam, foeminam virili animo et prudentia excellentem, Constantino duci Ostrogiensi nonnullis ante annis, quam in vivis esse desiit, in matrimonium elocavit. Ex qua suscepti a duce filii, non modo Tarnovianas opes possederunt omnes, sed etiam duorum maximorum imperatorum: Constantini Ostrogii, et Joannis Tarnovii nepotes, avitae virtutis gloriam, sartam tectamque constantissime tuentur.

Possem citare testes bellicae et domesticae disciplinae Tarnovii quam plurimos, Mielecios, Sieniavios, Liatalscios, Mlodziejovios, Sreniavios, Gostomecios, Starzochovios, et qui in regis aula sunt Mlodziejovios, Sreniavios, Bobolios, quorum ille opera et obsequio, partim in rebus a se pro republica obeundis, partim in hoc Joanne Christophoro filio in aula Ferdinandi, tum Romanorum regis,

educando utebatur. Possem offerre bellicae et civilis scientiae documenta ipsius infinita, quibus fortitudo in bello, mansuetudo in puniendo, splendor in dignitate, in beneficiis liberalitas, in iudiciis aequitas, in consulendo prudentia ejus laudatur atque praedicatur.

Sed restat ut de pietate in Deum Optimum Maximum et de religione ipsius aliquid etiam dicamus. Vixit Tarnovius temporibus iis, quibus consentientes omnium de se sententias magis optasse licuit, quam sperasse, et quibus homines variis et multiplicibus sectis inter se dissecti sunt et fuerunt, tametsi in omni memoria ejus rei exempla, passim et ubique habeamus, quod non solum difficile, sed factu etiam incredibile sit, omnibus semper placuisse. Quo magis etiam virtutem, quoad vivimus hinc quaerendam, at nonnisi ex tumulto acquirendam docent nos sapientes. Invidia enim non prius quam cum vita extinguitur. Quae cum abierit praestantium hominum virtus, gloria nititur immortalis. Qua propter quidem non est quod miremur, si hoc etiam nomine in aliquorum reprehensionem incurrerit Tarnovius, quod in religionis causa parum vehemens fuisse videretur. Non defuerunt fortasse, tali tantoque viro, facti et consilii sui rationes. Natura fuit temperans et moderatus, usu rerum vario atque multiplici praestans, artifex gubernandae reipublicae rarus, externorum casuum et calamitatum minime experis, librorum et historiarum (ut ita dicam) helluo admirandus. Itaque quoties de dogmatum varietate et dissensione in deliberationem quid cadebat, statim veniebat in mentem potens et vicina ei Germania, statim Bohemia, statim Anglia, denique et ipsa quae tumultuari jam coeperat Gallia, ante oculos ei versabatur, quae omnes diviso in partes senatu, distracto populo, prophanata religione, dirutis aris, legitimo spreto magistratu, civium suorum sanguine redundarunt. Hoc ille cum metueret malum et quasi turbinem quandam, seu procellam imminentem a longe prospiceret, in religionis causa sententiam suam ex tempestate temporum tanquam navigium aliquod dirigebat, et magnam erroris hujus saeculi, non minorem inclinationis reipublicae, maximam concordiae suorum civium rationem ducendam esse arbitrabatur, qua semel perturbat-

bata, nullum portum sive praefugium esse communis salutis et tranquillitatis. Neque vero novandis temere rebus assentiri unquam voluit, et vel minimum deflectere a more majorum atque religionis orthodoxae institutis, sed neque expedire rebus resecaere ad vivum omnia, et in morbis nondum plane desperatis, ustiones sectionesque adhibere affirmabat. Ita quidem, ut vel hac re et sententia novitarum suspectus non nemini, aut certe in causa Dei Optimi Maximi defendenda parum acer videretur. Quod idem nomen multis politicis aliis apud alias quoque gentes seu nationes contigisse est perspicuum, si modo politica a Dei Optimi Maximi et Ecclesiae ejus causa segregari potest, vel debet. Verum enim vero extremus Tarnovii actus vitae, cum in illud animorum concilium proficisceretur, albusne an ater fuerit, facile hunc omnibus nodum (quod ajunt) dissolvit, quanquam his plus quam Siculis aut Herculeis fretis superandis, nemo sapiens supinus indormivit, et cum omnibus in rebus aliis simulatio et dissimulatio periculosa, tum in religione et sententia de Deo Optimo Maximo est periculosissima. Si modo dissimulatio dicenda est ea, quae rerum omnium domina, civilis prudentia appellatur. In illo igitur (ut dixi) veluti extremo actu vitae, semper caste glorioseque actae, quam ardens pietate in Deum Optimum Maximum fuerit, cum ore et confessione sacrisque caeremoniis rite percipiendis, tum demum etiam vultu ipso et intuitu, crebrisque ad Deum suspiciis declaravit, quibus delictis suis veniam poscere, et Jesu Christi misericordiam implorare, ejusque promissis fidere, apertissime se ostendebat. Praesens tum aderat Leonardus episcopus Camenecensis, vir rara eloquentia praestans.

Quem ille de Deo Optimo Maximo, de religione, de morte disserentem, sic attente audiebat, ut singula ejus dicta diligentissime notaret, nec prius audiendi cupiditate, quam mente ipsa deficeret. Verum et de jurisjurandi ipsius religione, quod pietatis partem, vel maximam tenet, adiciendum est nobis aliquid, quod ille per omne suae aetatis tempus, ita caste sancteque coluit, ut non magis hostes fortitudinem ejus reformidasse, quam fidei et juramento tutos se tradidisse videantur. Tes-

tantur id foedera et pactiones ejus cum externis multae, quae fidei et integritatis ipsius opinione, magno fructu et dignitate constiterunt reipublicae.

Quid de foelicitate ejus loquar? quae a me tertio loco in laudatione posita, vel hac ipsa constantiae in jurejurando Tarnovii mentione facta, ut ipsius quoque non obliviscar, me adhortatur. Si enim bellum contra foedus et jusjurandum susceptum, semper clade et nunquam victoria fuit terminatum, foelicitatem Tarnovii an ulli rei, quam pietati et in servando juramento sanctitati magis tribuemus?

Quae quidem foelicitas tanta fuerat, ut merito etiam illorum vetustissimorum imperatorum foelicitati praeferri possit, et debeat. Foelix et fortunatus Cn. Pompejus fuit, qui non tam passibus, quam victoriis orientis et obeuntis solis, ultima peragravit. Sed tamen bello civili excitato, Pharsalica pugna victus, tyranno cervicem praebuit, et meliora speravisse, plus alios vidisse se confiteri est coactus. Foelix ante eum Lucullus, Marcellus, Scipiones et Fabius, ita tamen, ut desiderata nonnunquam foelicitate magis recreati fuerint, quam omnino nunquam violata. At vero hic noster Tarnovius heros, non offensionibus belli, sed victoriis, non aliorum stipendiis, sed suis triumphis vitam cum imperatorio munere terminavit. Nec mirum. Nam et ante proelium pro victoria Deum orabat, et post victoriam acceptam Ei referrebat. Memorant, cum ad Obertinum signa esset collaturus, multorum cum admiratione, in tentorio eum se tenuisse diutius, quam ab hostibus facta impressio requirebat. Qua de re cum in exercitu praecipui eum convenissent, supplicem ad Deum orantem, et humi jacentem imperatorem invenerunt. Quid Starodubo capto? An non flamma quae ex cuniculis arci subditis eruperat conspecta, ex equo statim desiliit, et pronus in faciem cecidit, atque in haec verba prorupit: Gratias tibi ago, inquit, summe Deus, pro parta victoria. Sed cui tandem hoc meritum meum denuo adscribetur? namque invidia alienis semper laboribus et virtuti insidiatur. Jam vero huic ipsi Tarnovii foelicitati genus, opes et reliqua ejusmodi commoda et ornamenta adscribemus. Nec non

uxores honestissimas duas, unam ex antiquissima Ten-  
eziniorum familia, ex Schidloviecia alteram. Summa enim  
haec sunt omnia: familiae amplitudo, potentia reipublicae  
utilis, divitiae non invidiosae, liberi, conjuges et similia.  
Huc accedit aetas, quam vixit, longissimam, et augustis-  
simam. Nam ad annum tertium et septuagesimum tan-  
dem pervenit. Adde mortis genus placidissimum, quod  
ei post tot exantlatos labores, et suscepta pro patria  
pericula, domi in lecto et non Martis furore, non alia  
quapiam irrogata necessitate contigit. Adde avitum  
et patritum sepulchrum, quo in recondebatur, lacry-  
mas quibus deflebatur, exequias quibus venerabatur.  
Adde quod mortem illam tam maturam praecessit au-  
thoritas ejus in republica maxima, honoratissimus apex  
senectutis, de qua postremo loco instituenda nobis est  
oratio, ut omnia illa quatuor, quae summis imperato-  
ribus moderatoribusque reipublicae conveniunt, pro-  
pria et perpetua Tarnovii apparent fuisse. Fuit igitur  
auctoritas Tarnovio tanta, quantam post homines natos  
vix aliquis habuit in Polonia, quam ei singularia animi  
et corporis fortunarumque ornamenta attulerunt. Nam  
et familia ea fuerat natus, de qua ante diximus, quae  
multorum praestantium virorum bellatorumque extitit  
procreatrix, et educatio ipsius talis subsecuta post ea  
est, quae ad omnem cultum humanitatemque enim con-  
formavit, et multis maximisque virtutibus, justitia, tem-  
perantia, modestia, pietate, pectus ejus implevit. Huc  
accesserunt corporis et fortunarum bona quam plurima.  
Fuit enim firmo validoque corpore, statura mediocri,  
vultu gravi, et severo ore pleno dignitatis, oculorum  
ardore imperatorio, barba prominenti, capite aequabili,  
fronte moderata, pectore lato et ingenti, quae omnia in  
eo augebant senatoriam et imperatoriam auctoritatem.  
Quid quod inde ab ineunte aetate in rerum omnium af-  
fluentia et splendore vixit, paternas haereditates amplis-  
simas adiit, decus et ornamenta gentis novis et maximis  
honoribus in familia cumulavit, dubitabis minus invidiae,  
auctoritatis vero multo plus id Tarnovio attulisse? Mul-  
tum enim interest, utrum quis clara et ampla natus fami-

lia, an vero veluti somnio beatus, repente nobilis et locuples factus, rebus maximis in republica praeficiatur.

Quid huic Tarnovio vidimus contigisse, qui primum clarissimo ortus genere, tandem per omnes omnium honorum gradus, ad hoc tantum fastigium facile pervenit.

Etenim cum primum palatinus Russiae esset, post Joannis Tenczinii, viri omnium aetate sua prudentissimi, mortem, castellanus cracoviensis est creatus, qui est summus inter politicos senatores in Polonia secundum regem honos, et amplitudo dignitatis.

Deinde bello Vallachico ingruente, non dicam ordinum, sed hominum omnium applausu delatum est ad eum imperium, idque non singulorum ordinum sive copiarum, sed exercitus regni universi. Quo in munere sic se Tarnovius gessit, ut quod hostes haberet republica, tot fere ille de hostibus victorias reportaret. Quibus rebus omnibus et apud suos, et apud externos tantam nominis sui famam et auctoritatem adeptus est, ut domi quidem clarus, sed multo etiam apud exterarum gentes nationesque esset magis admirandus. Hinc Carolus hoc nomine Quintus, potentissimus atque bellicosissimus imperator, literas ad eum dedit, et suis copiis post Vastii mortem in Pedemontana regione propositis, amplissimis praemiis atque possessionibus praeficere eum cogitavit. Hinc Ferdinandus ipsius frater Romanorum rex, missurus contra Turcam in Ungariam exercitum, Viennam eum accersivit, et imperatoris munus committere ei voluit, si per pacta et foedera, quae Polonorum regi cum Turca intercesserant, externo principi tuto navare operam Tarnovius potuisset. Consilium quidem iis, qui ducturi exercitus fuerant, praestitit salutare. Quod utinam fuisset observatum. Etenim ne a ripa Danubii germanicus exercitus discederet, neve comiteatu privari se a Turcis pateretur, serio admonuit, quod postea falsone an vere monuerit, ad Essecum clades declaravit.

Hinc denique Emanuel Portugaliae rex tantum virtuti ipsius tribuit, ut publicis literis, summa verborum et sententiarum gravitate scriptis, orbi terrarum testatum id faceret, et ultro Tarnovium commendaret.

Quid illud et quo loco ponam, quod cum cœrtis qui-

busdam de causis et aemulorum suorum, ductus invidia in regnum et ditionem Bohemorum recipi se Tarnovius postularet, non modo non gravitate hoc ei concessit rex, sed etiam gaudere se tali tantoque cive, in sua republica verbis amplissimis testatus est.

De auctoritate quae ei inter suos fuerat non loquar. Id enim cum multis aliis, tum illa vel maxime re fuit cognoscere, cum a bello Vallachico Tarnovius reversus, conventu Petricoviae habito, ab universa nobilitate sublevandis suis rebus publico nomine, pecuniam impetrasset. Acres certe et vehementes res, et quasi ad seditionem pronas, hujus viri auctoritate saepius repressas in Polonia fuisse nemo dubitavit.

Memorabilis ille est ad Leopolim nobilitatis motus, qui cum inter alios ipsum maxime peteret Tarnovium, quod ille pauperes nobiles cum probro aliorum vitam agentes, quibus decem marcarum census non esset, colonos potius aestimari debere, alicubi affirmasse dicebatur, gravi et prudenti oratione sic multitudinis concitatae compressit iracundiam, ut vix postea ipsi, quo jure quave injuria illud exortum fuisset, agnoscere potuerint.

Quid dicam de dissensione illa, quae Sigismundo Augusto regi post paternam mortem in comitiis et ordinibus reipublicae Petricoviae fuerat, quantum hujus senatoris apud equestrem ordinem, quantum apud senatum valuit auctoritas, quantum vox et sententia libera, quantum plena exemplorum et vetustatis oratio, nulla non gravissima subjecta sententia atque scientia? Huic ex bello toties redeunti quantopere est, ab omnium ordinum, aetatum, conditionum, sexuumque hominibus saepius gratulatum? Viae profecto ipsae, legatorum undequaque missorum, frequentia complebantur oppida, et itinera hominum admirabili concursu obsepiebantur. Cuncti Tarnovium non tanquam hominem aliquem, sed pene Deum quendam coelo delapsum, et conservatorem reipublicae datum, rediisse in patriam gratulabantur.

Huic ille Sigismundus Primus rex, quondam a Carolo Quinto caesare regum pater appellatus, Starodubo venienti, sede locoque regio obviam longium progressus

est, quam dignitas nomenque regium postulasse aliquibus videbatur. Fecit autem hoc libentissime, eidemque verbis gravissimis et honorificentissimis foelicem in patriam reditum, cum summa virtutis et meritorum ipsius collaudatione est gratulatus.

At enim non defuerunt aemuli, non virtutis obtretratores Tarnovio? Immo fortasse etiam parum favebant amici et necessarii, propinquo et agnato suo. Bene habet. Utinam quidem invidi non desint, bono cuiquam et cordato viro. Nam invidia nihil aliud est, quam praestantiae alicujus rei, cui invidetur, gloria. Atque ut conditione miser, et animo minime virtutibus exaggerato, sit oportet is, cui invideat nemo, sic e contrario livore et obtrectatione exagitata virtus magis resplendet. Quod si propinquos et agnatos virtuti ejus infestos dicas fuisse, sane nusquam quam suis in patria altitudo gloriae officit alterius, et quod damus aliis, hoc nobis ipsis detrahi oportere, praepostere indicamus. Sed nimirum ut noctua solem non aspicit, quo aliae aves recreantur, sic vulgus hominum, osor virtutis et scientiarum, praestantibus viris, quos assequi non potest, detrahendum, quam quod res est tribuendum potius existimat. Quo tantum abest, ut absterreri debeamus, ut etiam ad virtutem magis magisque colendam potius excitemur. Habent id corrupti mores reipublicae, ut in maledica juventute, vix aliquis etiam probatissimus, calumniam effugiat, et non tam turpitudini jam aliqui irascuntur, quam gravitatem et constantiam bonorum fastidiunt. Neminem autem praeterit, quantopere boni in Polonia omnes, fictis auditionibus et disseminatis sparsisque sermonibus de Tarnovio commovebantur. Quod cum alias semper, tum illa comitia Petricoviensia, quae post Livoniense bellum prima, illa autem extrema fuerunt, aperte declararunt. In quibus familiaris, quidam regius, intemperanter et inconsiderate de Tarnovio locutus, omnium ordinum sententia, ad poenam diuturni carceris graviter fuit damnatus. Dedit hoc rex amplissimi viri meritis in rempublicam praestantibus. Dedit senatus auctoritati, detit precibus ordinis equestri universi, et frustra pro eo interpellantibus multis, et apud regem gratiosis, ipsoque tan-

dem vel invito, Siradiae carceri manciparetur. Meminerant omnes virtutis et meritorum Tarnovii, tribuebant id, quod tribui merito debebat generis et familiae vetustati. Ex hac enim familia cum multi senatores alii virtute clari et dicenda sententia liberi fuissent, tum Joannes quidam Tarnovius palatinus cracoviensis, Casimiro regi in suam sententiam pertrahere eum cupienti, atque praefecturam sandomiriensem policienti, pro republica sic fertur respondisse: Non est, inquit, quod me tentes rex, sufficit mihi Tarnovia mea. Tu cui velis Sandomiriam dato, et me quod jurejurando interposito facere debeo, vera loqui tibi in senatu, non prohibeto. Egregiam vero vocem, o qua vox et animus hujus etiam Joannis Tarnovii nunquam discrepavit! Quin et fama vulgatum est, Bonam Sforziam, solertem providamque reginam, non contemnendam pecuniam mutui nomine Tarnovio aliquando dedisse. Quam postea cum Barum proficisci decrevisset, donare ei non gravatim voluisse, ne in adeundo illo haereditario ducatu, a principibus senatus ejus institutum tardaretur. Id vero praesentiente Tarnovio, pecuniam illam multo ante fuisse reginae redditam, quam solutioni tempus praestitutum advenisset. Videbat quippe senator optimus, vigilantissimusque imperator, reginae licet consilia ignoraret, minime temeraria fore suspicaretur, quantum in eo positum esset decoris et utilitatis republicae, ne mente gravata praemio, lingua praepedita pecunia in senatu aliquis versaretur.

Tu ergo Tarnovii non solum dici potuisse, sed et vere fuisse mihi videris imperator, qui non solum militibus, sed etiam cupiditatibus tuis tam praeclare imperasti. Sit tibi laudi atque gloriae, in adolescentia praeclarissimis humanitatis studiis ingenium excoluisse, juventutem gravissimis bellorum laboribus exercuisse, virili aetate pene terrarum orbem videndi gratia circumvisisse, sint in aeterna memoria clarissimae pugnae et victoriae tuae, quibus Vafrum Afrum Vallachum perfidum, Moschum infidiosum, ferocem Scytham perfregisti, quasi vero animi motus, et non hostium, sed tui ipsius spolia et simulachra virtutis non multo illustriora et diuturniora tibi sint futura, ex quibus quam ex ullis arescentibus laureis,

de animi tui magnitudine, virtute, sapientia, pietate, justitia, quisque conjecturam capiet faciliorem, nec ulla unquam aetas de tuo nomine et semine conticescet. Quae cum ita sint, tanto viro et imperatori Tarnovio, pro ejus praestantissimis in rempublicam meritis, vix aliqua a nobis amplius referri gratia potest, sed nulla non debet. Hic enim hostium tela a visceribus reipublicae depulit. Hic faces funestas e manibus inimicorum extorsit. Hic toties patriam exicio et interitu liberavit. Huic vita qua vivimus, gloria qua fruimus, pax et securitas qua potimur, jure et merito tribuatur. Hujus nomen hostes reipublicae perhorrescebant, prudentiam suspiciebant, arma expavescebant.

Hic in Lusitania primum Emanueli contra hostes egregiam operam navavit. Hic in patria Moschos ad Orscham fudit, Vallachos ad Obertinum praelio fregit, Starodubum in Moschovia coepit. Hic tot tantosque hujus reipublicae hostes, in officio semper tenuit. Hic erat in Polonia educationis eximia, hic doctrinae rarae, hic rerum multiplicium cognitionis admirandae. Hujus adolescentis ingenium excoluit Italia, viri fortitudinem admirabatur Lusitania, imperatoris prudentiam experta est Polonia. Hic non modo juris consultus, sed et justitiae. Hic parens populi gubernatricis eloquentia. Hic gnarus magestrae vitae historiae solus in Polonia videbatur. Hujus in morte si loqui potuisset, talem haud dubie orationem habuisset Polonia:

O! utinam ego Tarnovii, aut nunquam vidissem te, aut viso et cognito, tam aegre et dolenter non caruissem! Lugendum est profecto in unius vita mortalis, immortalem contineri rempublicam. Tu me non secus ac matrem amantissimam, pientissimus filius diligebas. Tu meae dignitati et utilitati perpetuo serviebas, tu tua tuorumque commoda meis commodis posthabebas, tu pro me in bello strenue et fortiter, tu in pace cum dignitate et sapienter se gerebas, tu tot tantisque pro me laboribus, curis, periculis, morti denique ipsi te exponebas. Tu nihil non libenter et studiose mea causa faciebas. O mortem crudelem, quae te mihi eripuit! O diem infoelicem, quae mortis nuntium attulit! O spem fallacem et frustra-

cionem meam! Heu quam mala et lubrica est res, homines in homine confidisse. Ego paulo ante, Tarnovii, virtute et fortitudine tua freta, omnes inimicos meos contempsi, populis bellicosissimis terrori fui, magnum nomen et admirationem apud exteras gentes nationesque habui.

Nunc vero (proh dolor) confecta angoribus, squalore sordida, lachrymis et merore perdita, omni praesidio destituta, cum metu et horrore imminentem circumspecto tempestatem. Hostes mihi infinitos esse video. Qui me tuteatur et defendat non habeo.

Involat Scythia — non ei obviam progredior. Terret me Turca — nibilo sum ab eo cautior. Insultat Moschus — non indignor.

Quid restat? Quam ut amisso unico hoc praesidio et imperatore Tarnovio, ferrum cervicibus, jugum liberis et conjugibus, flamma sedibus, vastitas agris et urbibus meis inferatur. Haec inquam, si potuisset, locutam fuisse Poloniam in morte Tarnovii, quis non fateatur? Quae tamen verba in singulorum civium ore et cogitatione haud dubie versabantur. Quis enim erat, qui non cogitasset, tanto viro mortuo, ereptam fuisse maxima ex parte reipublicae dignitatem, extinctum lumen clarissimae virtutis, omnia domi et foris adempta ornamenta. Aut quis porro non desiderasset, excitari ejus similes multos, qui suis opera et consilio adesse, autoritate praesesse, virtute hostibus obesse, difficilimis rebus et temporibus et velle et posse videantur? Itaque et nos omnes, qui aut Tarnovium aliquando vidimus, aut de praestanti et imperatoria ejus virtute audivimus, tanti viri laudes et gestas res, ut par est, memori mente colamus, et Deum precemus Optimum Maximum, quando quidem hoc tantum lumen patriae, praesidium reipublicae, culmen senatoriae imperatoriaeque dignitatis nobis eripuit, ejus aequales si non multos, saltem aliquos apud nos velit esse, quos ejus vestigiis insistentes, laude et imitatione, quam livore et invidia digniores fuisse, grata posteritas judicaret.

---



## SŁÓW PARĘ OD WYDAWCY.

---

Nim rozpoczęliśmy druk dzieła: *Ustawy Prawa Ziemskiego Polskiego* i t. d., mieliśmy już przyrzczone dzieło: *Consilium Rationis Bellicae*, znajdujące się w odpisie w bibliotece Dzikowskiej, z kąd też zostało nam udzielone, lecz już po rozesłaniu *Ustaw*. Dla tego teraz dopiero do dzieł tego wielkiego męża dodajemy ogólny tytuł, pod którym razem oprawić je należy.

*Ustawy* pod tym samym tytułem, jaki się u nas znajduje całkowicie, były wydane pierwszy raz w Krakowie, w drukarni Łazarzowej r. 1579.

Zaluski Józef Jędrzej mówi:

„To znowu fenix; w życiu raz tylko widziałem  
„A dotąd takiej książki jeszcze nie dostałem.“

(Biblioteka Historyków str. 111.)

Źródła, do których się ustawy Tarnowskiego odwołują, są następujące: Ustawy sejmowe poczynszy od r. 1374, królów Kazimierza Wielkiego, Ludwika, Władysława Jagielly, Władysława Warneńczyka, Kazimierza Jagiellończyka, Jana Olbrachta i Alexandra, a to podług wydania Jana Łaskiego: *Commune incliti Poloniae regni privilegium constitutionum et indutum publicitus decretorum approbatorumque. Cracoviae in edibus Johannis Haller, ad comissionem reverendi patris domini Johannis de Lasko impressum A. D. 1506 XXVII Januarii*. Odwołują się Ustawy na: *Statuta Serenissimi domini Sigismundi I. Poloniae regis, in conventibus generalibus edita et promulgata. Impressum Cracoviae apud Hieronymum*

*Vitcorem, 1524, mense Aprili* fol. Statuta wymienione obejmują ustawy sejmu koronacyjnego krakowskiego 1507, piotrkowskiego 1510, 1511, 1519, bydgoskiego 1520, piotrkowskiego 1523, i procedurę sądową Zygmunta I. *Formula processus iudicialii*. — Odwołują się *Ustawy Tarnowskiego* także na: *Decreta et constitutiones publicae in conventu generali piotrkoviensi A. D. 1538 factae* (b. m. dr.) fol. Odwołują się na: *Decreta in conventu generali Cracoviensi 1527* (b. m. i r.) fol. Odwołują się na: *Constitutiones conventus generalis cracoviensis A. 1539* (b. m. i r.) fol. Autor korzystał ze statutów po r. 1540 ogłoszonych, które weszły w *Volumina legum. T. I.*

Podobne do zbioru Tarnowskiego są następujące:

- a) *Ustawy prawa polskiego dla pamięci krótko wypisane, 1561.* fol. kart 40 b. m. podzielone na 38 rozdziałów.
- b) *Ustawy prawa polskiego napotrzebniejsze, krótko z łacińskich wybrane na polski język dla wszelkiego człowieka prostego a prawo wiedzieć potrzebującego. J. P. 1565 4to* b. m. Sig. A. V. podzielone na 38. rozdziałów; 2 wydanie 1565 (oba 4to) 3cie 1569 4to bez miejsca \*).

Co mogło spowodować Maciejowskiego do twierdzenia (Polska aż połowy XVII wieku. T. I. str. 390), że ustawy któreśmy przedrukowali są bezimiennego autora, odgadnąć nie możemy.

Rzecz *O obronie koronnej* ma oczywiście pokrewieństwo z *Consilium Rationis Bellicae*, i oba te pisma są raczej tylko odmiennymi przerobieniami tejże samej osnowy. Przedrukowaliśmy jednak obadwa, jako cenną spuściznę słynnego na cały świat wojownika. Wydawszy jeszcze w Sanoku *Żywot Jana Tarnowskiego* przez Orzechowskiego, a pragnąc, aby wydanie nasze dzieł wielkiego wodza i senatora, było ile możności zupełnem, pragnąc dać czytelnikom naszym ile możności najdokładniejszą o nim wiadomość, domieściliśmy łacińskie pisemko Straża o

\*) Zamieszczone potąd wiadomości bibliograficzne, zawdzięczany p. Żegocie Paulemu.

*wojnie z Turkami*, utworzone z ustnej rozmowy autora z hetmanem, i pochwalną mowę łacińską księdza Krzysztofa Warszewickiego, kanonika krakowskiego.

Nie dajemy polskiego tłumaczenia wymienionych pism, naprzód nie chcąc mnożyć kosztów, a powtóre dla tego, że oddający się u nas dziejom ojczystym lub po łacinie umieją, lub nauczyć się powinni, jeżeli chcą jakkolwiek na tej drodze uczynić postęp.

Wyraźniejszych śladów kroniki Tarnowskiego, nad te które są w bibliografach, nie udało nam się odkryć. Daj Boże, by ją kto odszukał!

---



8120/  
17